DE S. SPIRITVS ADVENTV ORATIO

HABITA


In Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMVM D. N.

INNOCENTIVM XI.

PONT. MAX.

AB ABBATE THOMA CERVINO
Sem. Rom. Conuict.





ROMÆ, Typis Francisci de Lazaris Ignatij fil. 1684.
SVPERIORVM PERMISSV.

153

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magister Sac. Pal. Apost.

Io. de Angelis Archiepisc. Vrb. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Ioseph Clarionus S. Theologiæ Professor ac Reuerendissimi D. Fr. Dominici Mariæ Puteobonelli S. A. Palatij Mag. Socius Ord. Præd.



INNOCENTIO XI.

PONT. MAX.


ABB. THOMAS CERVINVS

FELICITATEM.



Iuinum Amorem Bellatoris in ſpeciem hac exhibeo in oratione B. P. quidni ergo hanc tibi conſecrarem, qui adeò liberaliter ſacris prælijs, & Chriſtianis adſtas Bellatoribus ? Cum de amore diuino coram te loquerer,


videbar mihi de te quodammodo loqui, qui tam graphicè ſacris in bellis amorem diuinum imitaris. Ille igneo linguarum eloquio religioſum in bellum impulit Apoſtolos, docuitque de ſuperſtitione ſanctiſſimè triumphare. Tu Chriſtianum Orbem Vaticani numinis ardore accendis ad arma, & prouocas ad triumphos; nec deſunt verbis pretium, & pondus dum idem aurum pontificij Erarij bellatrici liberalitate transfundis, vt fateri liceat, nullum meliùs in Ottomannos pugnare, quam INNOCENTIVM. Excipe ergo tenue hoc munus obſequentiſſimi animi, & ne dedigneris illi commodare liberales oculos, & demittere paulùm Dei vicariam Maieſtatem, quam qui non videt ſentit, qui videt adorat.



ORA-



ORATIO.



APerit hodie Deus Scholam amoris in Cęnaculo B.P. Amoremque ipsum in Magistrum immittit, vt igneo eloquio castissimam ad artem erudiat. Omnia, (vt ita dixerim) amor est, & omnia docet, qui verum docet amorem: Quid mirum ergo, si promisit salutis Assertor nostræ rerum omnium Scientiam Amore magistro? *ille vos docebit omnia*, quæ vt facillimè doceat, totus in linguas abit, tonitrumque ipsum eruditam adhibet in vocem. Vt tamen innotescat magis quid doceat immissus amor, doctrinam amoris perpendamus: docet siquidem qui fuerit amor Dei erga homines, & quantus itèm deceat nos in Deum amor.

Cum degebat inter homines corporata Di-

Diuinitas, noſtra obluctante duritie non ſatis potuit docere amore ſuo, qui fuerit amor Dei erga homines. Vix propterea diſceſſit ab hominibus, cum illicò amorem delegauit, non eum tantùm, quo Deus homines, ſed quo Deus Deum amat, vt cæleſti incendio aboleret vitium illud, quod docenti Chriſto repugnarat. Formam ergo amoris huius deſcendentis è Cælo, vt præceptorem ageret, contemplamini.

Bellatoris ſpeciem præſefert, vt hac ſub ſpecie optimè probet, & referat Dei erga homines amorem, cui duntaxat bella placent, dum venit *non pacem mittere, ſed gladium*. Huius arma Bellatoris tonitrua ſunt, & Ventus; geminus ſcilicet terror, vt noſcamus arma, quibus vtitur diuinus Amor, dum Generi humano indulget, nempè tonitru, & vento ſonorus inſonuit magno eo bello, quod pro hominibus in Deum ipſum commiſit, & in quo Deus ipſe amoris vi à Cælo raptus, ingens fuit belli præda. Numne tunc etiam *intonuit de Cælo Deus*, dum VERBVM dedit hominibus, quo VERBO tanquam tonitru pugnauit amor, non in homines, ſed in hominum hoſtes, in mortem ſcilicet, & Inferos?

Numne vento vſus eſt ad pugnandum generoſo nimirum amoris impetu, vt quidquid obſtabat, demoliretur! *Ecce Deus tranſit (e Cælo ſcilicet in terram) & ſpiritus fortis ſubuertens, montes, & conterens petras ante Deum*: Cælos, ipſos innectentes moram diſrupit hoc impetu, vt homini victoriam prodigioſa celeritate maturaret. Quam benè ergo delapſus hodie hic amor armatus tonitru, & vento docet, qui ſit erga homines Dei amor, qui tonitru, & vento præliatur.

Non tamen hæc tantùm deſcendendo docet; palam inſupèr facit ſacri hic belli Præceptor, quantus nos in Deum deceat amor; nimirum ipſe etiam diuini ad inſtar amoris tonitru debet & vento communiri. Didiciſtis hoc ſanè ſub tanto Magiſtro diſcipuli fortunatiſsimi, quos in Cænaculo veluti in palęſtra amor erudiuit. Vos illicò amorem veſtrum in Deum tonitru, ventoque armaſtis, vt Deo pugnaretis: Veſtrum tonitru ſonus ille erat, *qui in vniuerſam Terram exiuit*, quoque Idolorum ſuperſtitio debellata penitùs in orbe terrarum, & ante pngnam timore expugnata latebras ad fugam exoptauit. Inerat tonitrui ventus, qui montes verè petraſque diffingeret, nempe monſtro-

ſtroſa ſimulacra, in quibus inanimem Deorum populum mendax Religio venerabatur: diſiecit templa, vbi mentita Diuinitas exigebat in cultum Arabum Tymiamata. Si Tyrannorum barbaries ferreos opponebat aggerres, quibus armatum amorem pro Chriſto pugnantem moraretur, eo vento, quo armabamini, euertebantur. Si mors ipſa intentabatur, efflato Spiritu vincebatis, vincebatis videlicet mortem moriendo.

Reliquum eſt, vt ipſi nos condiſcamus amorem Deo reddere, eique conformem, quo a Deo in vberrima flammarum eluuione donamur.

Et quot nunc Amorem obarmant pro Chriſto militaturum? Amoris huius tonitru, nec ſine comitante fulmine è Vaticano erumpit, & barbaræ ſuperſtitioni felices ruinas, & ſalubre excidium minitatur.

